



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Theologia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*Philosophia
naturalis
mundus.*

Naturalem inde Philosophiam aggrediebantur, quæ de mundo, aut de iis, quæ sunt in mundo, quærit. Hæc autem disciplina opiniones, lites & dissidia, quæ inquietum hinc inde animum vexant, distrahunt, lacerantque, molliter sopit atque componit, ut ita demum ad sacra admitti, nunc superioris regis multicolorem, id est, siderum aureum ornatum, nunc cæleste candelabrum septem luminibus distinctum, nunc pellicea elementa in Philosophiæ sacerdotio contemplemur.

THEOLOGIA. CAP. XI.

*Effectus
Theologia.*

Postremo Theologia est amplectenda, quæ, ut dictum est, omnes amplectitur disciplinas, cuius munus est solidam præstare pacem, quam neq; mores humanæ fragilitatis sanctissime quantitate libet instituti, neque colloquiorum curiosa cognitio, neq; naturæ totius pervestigatio præstare poterunt. Tunc vero pax hæc firmissimo nobiscum est fœdere sancita: cum motus omnino nullus adversus rationis imperium discessionem ullam meditatur: cum omnia cogitationum nostrarum dissidia composita sunt, sopiti sensuum impetus, discussa oppressaque penitus cupiditatum conjuratio. Hæc illa est Pythagoreorum amicitia, quam totius Philosophiæ finem autumant. Hæc nos in tempore adyta & adducit & recipit, ubi nullo imaginis intercedente velo, divinitatis gloria perfruamur. Per scalarum itaque gradus philosophantes, à centro ad centrum omnia pervadentes & quæcumq; sunt in unum contrahentes, nunc unum quasi Osirin (admirandus diceret Picus) in frustra plurima vitæ tanica discerpentes, ire pergamus, donec in sinu patris, qui supra scalas est, tandem quiescentes, Theologica felicitate consummemur, individuaque mox copula complexive non modo Deo conciliemur, sed admirabili quodammodo unum penitus evadamus. Ut vero quædam à Picæ sententiâ non aliena subjungamus, à quatuor his doctrinæ partibus circumdari Deum, Maximus Tyrus nihil videtur intelligere. Circumdatur autem is, qui coram, retro, ad dexteram, atq; ad sinistram, aliquos habet circumfusos. Eorum vero qui Deum circumdare videantur, illi retro esse dicuntur, qui per virtutem illam, quæ ad actiones pertinet, Deum sequi perfruisunt. Ea vero plurimum in moribus sita est. Dedit autem is exemplum nobis, ut quæ ipse egerit, imitemur. Ad sinistram illi constitui videntur, qui naturalem secuti Philosophiam, usum ejus in spiritualem dirigunt intellectum, perq; inferiores indaginem, ad superiorum cognitionem pervenire conantur. Ad dexteram illi esse intelliguntur, qui sublimium, & à materia separatarum, humanumque visum excedentium, rerum scientiam perscrutantur. Coram denique Deo eos esse dicimus, qui ob immensum divinæ pulchritudinis amorem digni effecti sunt, ut Dei ipsius conspectu perpetuo perfruantur, facieque quodammodo in faciem intenta, veræ felicitatis participes dicti, dii quoque & ipsi fieri mereantur. Ea enim perfectitate, ut Pythagoræ vocabulum interim usurpem, riteque instituti, animam undecumque puram, sanctam & immaculatam Deo videntur asserere: atque ita merite optima; manifestissima scientia, opinione firmissima, sensuque absolutissimo præditi, soli hominum super hominem evecti, terque quaterque beati efficiuntur.

*Quibus
Deus circumdatur,
& quomodo
do.*

TRIAS. CAP. XII.

*Disciplina
vni discipulo
falsa à Sa
lom.*

Quatuor itaque circulis hujusmodi describitur institutio, in quatuor ipsa divisa partes. Sederim Salomon, qui, divino afflante Spiritu disciplinarum ordinem primus excogitavit, quem plerique Græcorum sapientes, qui ejus inventa sibi vendicant, non temere secuti sunt, tres tantummodo totius disciplinæ partes agnoscit, moralem, naturalem, & contemplativam, quas per tria identidem volumina pertractavit, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticum: mores utique per Proverbiorum præcepta docens, naturam rerum per Ecclesiasten, per Canticum autem speculationem. Neque etiam Logicen distinctam ab his portionem arbitratus est, quæ in unaquaque disciplina per se ipsa conferitur, & instar staminis ad firmitatem contexta, cujuscumque subtegminis laborem admittit, sive pexum, sive plumatile, sive beluatum opus intexere volueris. Nam cum institutio omnino per sermonem fiat, quomodo quispiam probabilem sermonem suum efficiat, nisi ita loquatur, ut ipse rei, quæ in promptu est ratio, verisimilitudo, ipsa denique veritas deponere videatur? Unum